

86. Apoc. 10.

Fidelibus, qui sunt in Ecclesia dabit Angelus librum ad comedendum. Accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce, tanquam mel, Apocal. 10. num. 9. Maxime expendendum est, quod liber, vt dulcis, & amarus est dulcis ori, amarus vero ventri. Et cur dulcis in ore, amarus in ventre? Quenam tanta rei differentia? Per os significantur virtutis studiosi, ac Dei dilectores, quibus Dei eloquia dulciora super mel, & fauum: per ventrem significantur mentes hominum, qui terrena sapiunt, & qui ventri, ac gula indulgent; ecce iam tanti gustus diuersitas apparet, diuersus enim affectus saporem, ac dulcedinem generat, qui toto corde ad Deum fertur, in eius lege miram dulcedinem inuenit, qui vero, quae terrena sunt, diligit; amarissimos succos in praecipitis fingit. D. Augustinus homil. 8. in Apocal. In ore, ait, intelliguntur boni, & spirituales Christiani, in ventre carnales, & luxuriosi. Inde est, quod cum verbum Dei praedicatur, tunc spiritualibus dulce est: carnalibus vero, quorum secundum Apostolum, Deus venter est, amarum videtur, & asperum.

Dei eloquia amanti dulcia, non diligenti amara.

August.

Matth. 21. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. Num. 24. Et cum audissent principes Sacerdotum, & Pharisei parabolas eius, cognouerunt, quod de ipsis diceret. Num. 45. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.

VERSIONES.

D. Augustin. Et quicumque offenderit in lapidem illum conuassabitur: super quem vero venerit. Psal. 45. Super quem vero ceciderit, dissipabit eum. Luc. Burgens. Ventilabit eum. Syriac. n. 45. Cognouerunt, quod de se ipsis loqueretur. Vatabl. n. 46. Et quærentes illi manus iniicere, timuerunt multitudinem, quoniam tanquam Prophetam eum habebant. Euthymius. Et quærentes eum apprehendere.

ALTER TEXTVS.

Marc. 12. n. 12. Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam: cognouerunt enim, quoniam ad eos parabolam hanc dixerit.

Luc. 20. n. 18. Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conuassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

EXPOSITIO VI.

Qui ceciderit super lapidem istum. Lapidem intelligens de quo supra locutus fuerat, qui factus est in caput anguli, seipsum denotans Dominus, & dirigitur in praesenti sermo ad Iudæos, vt docent D. Augustinus lib. 1. quæst. Euangel. quæst. 30. D. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Abulensis, Iansenius, Maldonatus, Barradas, Cornelius; de his enim dixerat immediatè antea, auferetur à vobis regnum Dei. Qui ceciderit super lapidem istum. Id est qui offenderit in hunc lapidem, qui ruina, seu peccati causam ex hoc lapide, vt supra dixerat aliis verbis, qui scandalizatus fuerit in me, Matth. 11. num. 6. Vt vos o Scribæ, & Pharisei facitis. Confringetur, seu vt scribit D. Lucas, conuassabitur. Syriacus, dissipabit, vt explicat Carthusianus spirituali contractione, ac proinde perniciem, læsionem, ac contractionem in animo, & etiam in corpore, vt multi explicant, accipiet. Super quem vero ceciderit. Supplicio in hac vita per Imperatores Romanos, & in die iudicij per damnationem æternam. Conteret eum, sicut quando lapis grandis super testam cadit, eam in minutissima frusta comminuit, vt nullo modo reparari, ac redintegrari queat. Sicque hac parabola minatur Christus Scribis æternum, ac irreparabile excidium, damnationem scilicet gehennæ. Sic ait D. Augustinus citato loco: Cadet vero super vos, cum veniet in iudicium perditurus, vt sint impij tanquam puluis, quem proicit ventus. Cum audissent Principes Sacerdotum, & Pharisei. Manifestè intellexerunt ipsos in parabola esse depictos. Et valde mirum discipuli edocti in doctrina Christi dicebant: Edissere nobis parabolam, Matth. 24. num. 36. Vt verò Principes Sacerdotum, & Pharisei sub tot inuolucris parabolatum rem penetrant, & non postulant, vt eis exponatur, ac explicetur, mala quippe conscientia eorum eos seuerissime accusabat, illique parabolam interpretabatur, vt sub tot tegumentis verborum sensus non lateret.

87.

August. Chryso. Euthym. Theophyl. Abulens. Iansen. Maldon. Barrad. Cornel.

Carthul.

August.

88.

Conscientia accusat, & dat intelligentiam.

VERSIONES.

Theophyl. n. 1. Dixit per parabolas. Vatabl. n. 2. Assimilatum est regnum cælorum. Syriacus. Assimilatur regnum cælorum filio regi, qui fecit conuiuium filio suo. D. Hieron. n. 3. Misit seruum suum. Pagninus. Et emisit seruos. Syriacus. Vocare inuitatos ad conuiuium.

EXPOSITIO I.

INVERSA est hæc parabola, ab eâ quam scribit Lucas cap. 14. de cena magna, vt sup. explicauit cap. 24. exposit. 1. num. 1. Valde tamen similis est, & omnia quæ ibi dixi, facile hic adaptari possunt, quæ videnda sunt. Respondens Iesus, non ad verba, sed ad intentionem eorum, vt ait D. Thomas: simile est regnum cælorum. Ecclesia nempe militans, quæ regnum cælorum dicitur, quia cælestem regem, cælestesque leges, ac scripturas habet; homini regi qui fecit nuptias filio suo. Homo Rex Deus Pater, filius regis, & sponsus Christus Iesus: fecit nuptias. Hæ nuptiæ factæ sunt primò. Quando diuinum Verbum assumpsit naturam humanam, & eoque sibi hypostaticè vnuit. Ita D. Gregorius homil. 38. in Euangel. Tunc, ait, Pater filio nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humane naturæ coniunxit. D. Augustinus orat. contra Iudæ. Pagan. & Arianos, tom 6. cap. 9. Christus, ait, processit ex vtero Virginis, tanquam sponsus de thalamo suo. In quo vtero spirituales nuptiæ celebratæ sunt, Deus coniunctus est carni, & caro adhesit Deo. Idem habet lib. quinquaginta homil. homil. 32. cap. 5. Idem habent hic Beda, Haymon, Albertus Magnus, D. Thomas, Secundo, Pater fecit nuptias filio suo, quando ei sociauit Ecclesiam, id est homines fideles, quasi sponsam mysticè ei despondit per gratiam: quæ quidem nuptiæ in cælo consummabuntur per gloriam. Ita Origenes, D. Hilarius, D. Hieronymus, Euthymius, & etiam D. Gregorius, Carthusianus, & alij. Tertiò, Deus Pater Christo fecit nuptias, id est nuptiale conuiuium, quando in Iudæa, totoque mundo per Christum posuit mensam Euangelicæ doctrinæ, ac Sacramentorum, præcipuè lætæ Eucharistiæ. Ita Origenes, Chrysostomus in Imperfecto, D. Paschal. & alij. Misit seruos suos. Qui vocarent ad has nuptias diuini Verbi Incarnati, ad quas ante ipsam Incarnationem fuerunt inuitati Iudæi per Moysen; & Prophetas; post verò ipsam Incarnationem vocati fuerunt per Ioannem Baptistam, per Apostolos, virosque Apostolicos, vt in Christum crederent, ab eoque reciperent gratiam, & gloriam. Ita D. Hieronymus, D. Paschasius, D. Gregorius, Misit seruos suos: in parabola D. Luc. 14. num. 17. dicitur: Misit seruum suum hora cænæ. At in praesenti nominantur plures serui. Euangelici enim ministri, qui ad cæleste conuiuium inuitant, plures sunt, & vnus. Plures, quia in diuersas mundi partes diuiduntur. Vnus verò, quia eodem doctrinæ vinculo colligantur. Ad nuptias, in quibus est gaudium, requies, & exultatio, vt ait D. Chrysostomus in Euang. Tom. IV.

I. Luc. 14.

D. Thom.

Gregor.

August. Pagnin.

Beda. Haymon. Alb. Magn. D. Thom.

3. Origenes. Hilar. Euthym. Gregor. Carthul. Chryso. Paschal.

4.

Hieron. Paschal. Gregor. Luc. 14. Vultus in ministris Euangelicis.

stomus homil. 70. Euthymius, Vocat ad nuptias, ait, tum propter desiderium, quod habebat ad Ecclesiam: tum propter ipsius Ecclesie gaudium. Tanto affectu desiderabat Christus sibi adunare Ecclesiam, hoc est omnes fideles, ac sponsus desiderat suas nuptias; in quibus magnum præuidebat gaudium Ecclesie. Nolebant venire. Quod præter regis, ac seruorum expectationem fuit. Non ad bellum, non ad crucem, sed ad nuptiarum solemniam vocantur. Et tamen noluerunt venire. D. Chrysostomus citatus homil. 70. Quid enim dementius, quam cum ad nuptias voceris, resistere? Nam quis in nuptias venire non optaret, & eas regis, quas amantissimo filio faceret?

Chryso. Euthym.

QUESTIO I.

Quare Christus Dominus proposuit hanc parabolam?

INIS, ac scopus parabolæ inquitur in praesenti. Respondent D. Hieronymus, Abulensis quæst. 1. dicunt quod in praesenti cap. in conclusione præcedentis parabolæ, dixerat Christus Dominus Iudæis, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Hic adiungit, & explicat gentem, cui regnum Dei sit dandum, illi nempe, quæ erat extra populum, ac ciuitatem Israeliticam per exitus viarum.

3. Hieron. Abulens.

Secundò, D. Chrysostomus homil. 70. Postquam ponit superiorem rationem de gente, cui dandum erat regnum; aliam assignat dicens: Neque id solum, ait, sed ineffabilem erga Iudæos curam ostendit: nam cum ibi ante crucem eos vocare videatur, hic etiam in vocando post mortem perseuerat. In superiori parabolâ ad agricolas vineæ delegauit seruos suos. Et tandem misit filium suum, dicens: verebuntur filium meum; & tamen ipsum comprehensum occiderunt, nunc verò adhuc post mortem filij sui, mittit ad eos seruos suos, qui vocarent eos ad cæleste conuiuium, in quo maximè declarauit suam immensam bonitatem, cum post iniurias, ac mortem filij sui, adhuc à beneficiis non destitit.

6. Chryso.

Et vocat non ad quodlibet beneficium, sed ad excellentissimum, ad desponationem nempe animæ cum Deo, quod tam magnum est, vt vix pro nostra tenuitate credi videatur. Ait Angelus Ioanni in Apocalypsi 19. num. 9. Scribe, beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati sunt, & statim subiungit; Hæc verba Dei vera sunt. Omnia quæ in Apocalypsi scripta sunt, verissima esse nullus dubitat, ad quid cum Angelus agit de his, qui vocati sunt ad nuptias agni: Addit ea vera esse? Tanta est enim dignitas, tamque excelsa prærogatiua, vilissimam humanam creaturam vocari ad desponationem cum Deo, vt Angelus hæc dicens, veluti vereatur sibi fidem non esse adhibendam; ideo pro maiori munimine ex Dei parte denunciat verba esse vera: D. Bernard. Vt citius, & firmiter, ait, credamur a nobis, & in maiori autoritate habeantur, non sua, sed Dei verba, quæ dixit, protestatus est esse vera.

Summa charitas post iniurias à beneficiis non destitit.

7.

Apoc. 19.

Sublimis prærogatiua cui Deo desponatur.

Bernard.

XXX;

QVA

QVÆSTIO II.

Quare Deus Pater cum homo non sit, assumitur homini regi?

8. Richard.

Amor operibus declaratur.

9. Chrysol.

Matth. 20.

Omnia bona in Eucharistia.

10.

Ille rex, qui non sibi, sed aliis consulit.

11.

Magnificentia declaratur factis, non verbis.

12.

Principes Evangelicorum exiit, ut videntur et cognoscant suos.

RESPONDET ad questionem. Primò Richardus de S. Laurent. de laudibus Mariæ lib. 2. p. 7. Propter dilectionem, ait, quam habet Deus ad hominem, dicitur Pater homo. In hoc conuiuium hominibus præparato declaratur Diuinus amor, auctor tanti conuiuij, qui celeberrimam mensam altissimi, taurorumque plenam instruxit, ideo Deus Pater sub persona hominis introducit: ac si hominibus conuiuium exhibuisset; probatio amoris exhibitio est operis. Vide supra c. 35. n. 18. 19. & 20.

Secundò. D. Chrysológus serm. 95. Audisti Dei conuiuium, ait, sollicitus non sis de qualitate conuiuij. Qui peruenire Regis meretur ad mensam, manducavit quicquid regni dominatio possidet, & potestas, sic qui ad conuiuium uenerit creatoris, habebit in deliciis suis, quicquid continetur in creatura. In alijs parabolis dicitur Deus Pater similis homini Patrifamilias; simile est regnum cælorum homini Patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Matth. 20. num. 1.

At verò in præsentia dicitur homo rex cum præparat suum conuiuium, vt. denotetur ingens omnium bonorum affluentia, quæ in hac mensa diuini Regis exhibetur; sicut enim in mensa temporalis regis, omnia bona, quæ terra parturit, apponuntur, sic in hac mensa Diuini regis, scilicet sui sacratissimi corporis, & sanguinis omnia cælestia, ac diuina bona communicantur, quibus anima valde suauiter, ac delectabiliter fruatur, & pascitur in Ecclesia. Vide verbum Eucharistia.

Tertiò. A prædicta combinatione non discedo. In parabola de vinea, Matth. 20. dicitur tantum homo Patrifamilias, at hic dicitur homo rex; vnde tanta differentia? in præsentia maximè se ostentat liberalem ad suorum commodum totus intentus, dum omnes ad conuiuium splendidissimum vocat; At verò ad vineam operarios conducebat veluti suæ utilitati consulens, vt sua vinea esset præparata ad fructus reddendos, nomen autem regis non meretur, qui sibi est intentus, ille verò rex, qui alijs consulit, in alijsque est beneficus. Vide multa. verb. Prælati, vel Rex.

Quartò. Cum dicitur regnum cælorum simile homini regi, dictarum simile sperabatur regi magnifico, ac præstantissimo, sed tantum dicit simile homini regi; cuius conuiuium magnificum, ac magnum declaratur, cum pro omnibus sit præparatum, ac positum; declaratur ergo magnificentia eius non verbis, sed factis, non titulis, sed operibus. Vide supra c. 2. n. 28. vel etiam pro maiestate sacræ Eucharistiæ trahere huc ea, quæ dixi supra de cæna mag. c. 24. q. 2.

Quintò. Hic princeps Evangelicus dicitur rex, & homo, Rex ob magnificentiam, ac liberalitatem, quam habet erga suos; homo verò, quia suis actionibus humanis liberè fungitur, ipse per se mittit seruos vocare inuitatos; ipse per se exiit, & ad discumbentes accedit, singulorumque vestes, mores, ac accubitus considerat, ipse per se cum eis loquitur, indignos expellit, dignos, ac bene meritos ad se recipit, ac admittit; & quantum

distat iste princeps Euangelicus, à conditione temporalium regum, qui secessu delitescunt, & clauduntur, nec vocant, nec audiunt, nec vident, nisi eum, quem minister velit introducere, hic enim maximè distat ab hominum natura. D. Syn. lib. de regno sic ad princip. loquitur. Seuerior illa grauitas, ait, ad ipsam quid metuisitis: ne si vos sapius spectandos prabeatis, nimium sitis hominibus vestris familiares, vos domo penitus clausos, & à vobis ipsis quasi obsessos detinet, vt paucissima videatis, & audiat, à quibus rerum agendarum prudentia colligitur, corporisque dumtaxat voluptatibus indulgeatis, ac marini Pulmonis vitam haud distimilem agitis. Quando ergo humanam conditionem aspernamini, nec hominis quidem perfectionem attingitis. Vide tom. 3. c. 6. q. 1. n. 5. & 6.

Sextò. Origenes homil. 20. in Matth. & D. Thomas, in præsentia. Rex, ait, dicitur à regendo. Nos autem non possumus nec sumus capaces regni eius secundum quod est, sed regit nos secundum modum nostrum; & ideo dicitur homini regi, quia regit nos humano modo. Hic rex Euangelicus, dicitur homo rex, vt ostendatur, quod non tantum gubernat nos, vt supremus omnium rerum Dominus, ac vt respiciens solum ad absolutam celsitudinem suæ maiestatis, sed etiam contemperans, ac submittens se tanquam si esset homo, qui homines regit, accommodans se, ac respiciens ad humanæ naturæ fragilitatem, quam dirigit, & dominatur.

Inter tres diuinas personas summa est æqualitas, vt Catholica fides profitetur. Valde ergo mirum est, quod Spiritus sanctus, qui in omnibus æqualis est Patri, & Filio, dicatur in Trinitate tertia Persona; illa enim voce Hæretici abutuntur, & falsa, ac iniqua argumenta contra æqualitatem Diuini spiritus formant. Nam nomen tertij importat aliquam inæqualitatem in ordine ad primum, & secundum. Præclare hos errores refutat D. August. quæst. ex nouo testamento 97. Solent, ait, iterum præiudicare Spiritui sancto, quod ideo degener intelligatur, quia in ordine tertius ponitur, cum tanta simplicitas sit in scripturis diuinis, vt aliquando inuenias tertium primum positum: vt enim causa se rulerit, sic ponuntur; nullis enim iniuria est, quia vna eorum diuinitas est. Diuinus spiritus summè, & omnimodè æqualis cum Patre, & filio; at verò humana mens cum sit valde debilis, & limitata non potest concipere tres personas absque eo quod vnâ intelligat vt primam, aliam vt secundam, alteram vt tertiam. Spiritus ergo sanctus, cum sit summa, & infinita bonitas, non curat, nec attendit ad rigorosissimam vocabulorum æqualitatem, & quod tertio loco nominetur, dummodo per fidem seipsum manifestet homini, quem regit, & gubernat, respiciens in hoc potius ad exiguitatem, ac tenuitatem nostræ imbecillitatis, quam ad celsitudinem suæ æqualitatis, ac maiestatis.

Benedicens Moyses duodecim Tribubus Israël, cum peruenisset ad Ioseph ait ei. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph. Deuter. 33. num. 16. Postulat S. Patriarcha benedictionem Dei super Ioseph; pro vt apparuit in rubo Deus, sic se exhibuit Moysi in rubo, vt rubus arderet, & non combureretur. Exod. 3. n. 2. & viridis folijs sine vlla læsione stabat securus rubus, vt ait Philo lib. 1. de vita Moysis, hanc benedictionem, huncque spiritum deprecatur ipse super Ioseph totius Egypti gubernatorem, nam Deus

apparens

apparens

Synel.

13.

Origen. D. Thom. Princeps potius attendat ad suorum debilitatem, quam ad suam celsitudinem.

14.

August.

Diuinus Spiritus accomodat se nostræ tenuitati.

15.

Deuter. 33.

Exod. 3.

Philo.

Princeps non sua potestate, sed aliorum infirmitate spectatur.

apparens in rubo, vt omnium Dominus poterat illam cõburere, & in cineres redigere, tamen voluit in illa se exhibere, absque alicuius læsione, accommodans se magis illius tenuitati, quam suæ potestati; hanc mentem exoptat Patriarcha, vt Deus infundat Ioseph, vt in suo regiminis clauo nemini læsionem inferat, respiciens potius tenuitatem eorum, quos regit, quam potestatem, qua dominatur.

QVÆSTIO III.

Quare hic princeps Euangelicus prius dicitur homo, postea Rex?

16.

Psal. 105.

Exod. 32.

Num. 25.

In rege magis resplendet pietas, quam generositas.

Nazianz.

17.

Origen.

Reges sciant se esse homines.

Tertull.

ICITVR ab Euangelista. Simile est regnum cælorum homini regi, prius nominatur homo, & postea rex, & eleganter quidem hominem præposuit regi, solidum enim fundamentum regij splendoris in eo habetur, quod sit humanus, misericors, ac pius. Ait Regius Vates Psalm. 105. n. 23. Et dixit vt disperderet eos: si non Moyses electus eius steteret in contradictione in conspectu eius, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos. Et postea subdit: n. 30. Et stetit Phinees, & placauit: & cessauit quassatio. Decantantur Moyses, & Phinees, quod in magnis peccatis populi pro ipso coram Deo steterunt deprecantes. Sed cur non potius generositas Moysis, quod pro adoratione vituli viginti tria millia idololatrarum inuisisset interfici? Exod. 32. num. 28. & etiam audacia, ac fortitudo Phinees cum arrepto pugione principem Israël cum Madianitide interfecisset. Num. 29. num. 7. Cur ergo in eis non celebrantur tot illustria facta, sed solum quod pro populo deprecantes steterunt? Moyses, & Phinees duces, principes, ac gubernatores populi, proindeque magis in eis conspicua pietas, ac clementia, qua pro suis sunt deprecati, eisque veniam impetrarunt, quam generositas, ac fortitudo, qua hostes occiderunt, & iugularunt. D. Gregor. Nazianz epist. 81. loquens de Phinees, quod etiam intelligendum est de Moyle. Zelatoris cognomētum, ait, hinc obtinuit Phinees, quod Madianitidem vna cum eo qui supra ipsi inferebat, gladio transiit, atq. ex Israëlita natione probrum exemit. At maior em hoc nomine laudem tulit, quod pro populo in caelos collapsis precibus fudit, &c.

Secundò. Origenes homil. 20. in Matth. Necessè est, ait, vt simile sit regnum Dei homini regi, vt hominibus quasi homo apud homines loquatur. Rectè annectit Dominus in parabola hominem regi, vt licet reges super homines sint, homines tamen se esse cognoscant, nec Deos se existiment, qua facultate aliqui reges laborarunt, vt se Deos, Iouisque filios, aut Iolis tumide nuncparent; Rex ergo sic resideat in regali Solio, vt hominem se esse sciat, vt hominibus quasi homo apud homines loquatur. Vnde apud Romanos triumphatoribus gloriosior erat vox serui admonentis esse hominem, quam laurea corona pro victoria. Tertullianus in Apocal. aduersus Gentes sic ait: Suggestur ei à tergo: Respice post te, hominem mememo. te. Etiam hoc magis gaudet, tanta se gloria cornuscare. Vt illi admonitio conditionis suæ sit necessaria. Pondera verba. Minor erat, si tunc Deus diceretur, quia non verè diceretur. Maior est, qui reuocatur, ne se Deum existimet. Gloriosior illi vox, quam homo dicitur, quam si Deus tunc diceretur.

Accessit centurio ad Christum Dominum pro sanitate serui rogans, dicens illi, quod sufficit, vt ipse tantum verbo dicat, vt puer sanitatem recipiat, & subdit. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus habens sub me milites, & dico huic: vade, & vadit. Matth. 8. num. 9. Considerat ipse suam potestatem, & numerat sub se habere milites, dico huic vade, & vadit, & alij, veni, & veni. Et centurio idem est, ac habens sub se centum milites. Considerauit Dauid aliquando suos milites, viros potentes ad bellum, tunc vanitatis vento commotus miserimè contriuit. Centurio de sua potestate gloriatur suorum militum obedientiam expendens, & tamen vanitate non commouetur, & optata impetrat; Quam huius rei causa? Dauid considerauit solum se esse regem: sermo regis magis præualuit. 1. Paralip. 21. num. 4. At Centurio sic respexit sub se habere centum milites, vt primum ei in mentem uenerit, quod homo erat, homo sum sub potestate, habens sub me milites. Qui in dignitate sic se habet, vt ante omnia se hominem esse agnoscat, securus degit, multum promeretur, & magnos fauores assequitur; At verò qui solum se cogitat regem, vt sermo eius contra omne ius præualeat, peccat, labitur, ac in magnam Dei iram incidit, quod secus fieret si ad humanum puluerem aspiceret. D. Bernard.

Epist. 42. Homo, ait, sum, & homo sub potestate, iam quid sub inferas, suspensam habemus iactantiam. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet. Ait Dauid Psalm. 81. num. 6. Ego dixi, Dijs estis, & filij excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini. Ad reges, principes ac iudices sermo est, vt est communis interpretatio. D. August. D. Chrysol. D. Hieron. N. Incognit. & aliorum, sed dum decantatur tanta eius gloria, vt dij appellerentur, cur statim adiungitur, vos autem sicut homines moriemini? Ponitur in hoc clauus, ac firmitas ipsius dignitatis, ad stabiliendam ipsam dignitatem, maximè expedit, vt quis se cogitet hominem morturum. Ipsa cogitatio hominis munimen dignitatis est. D. August. tract. 1. in Ioannem. Tunc in melius, ait, non erimus homines, si prius nos homines esse agnoscamus: id est, vt ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus: ne computemus nos aliquid esse cum nihil simus. Vide supra c. 24. q. 1. n. 8.

18. Parap. 21. Qui se considerat hominem, securus est in dignitate.

19. Psal. 81. August. Chrysol. Hieron. Consideratio humana natura munimen dignitatis.

Matth. 22. n. 4. Iterum misit alios seruos, dicens: dicite inuitatis: Ecce prandium meum parauit, tauri mei, & altitalia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.

Num. 5. Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in villam suam, alius verò ad negotiationem.

VERSIONES.

Syriacus. Ecce conuiuium meum paratum est, tauri mei, & altitalia mea mactata sunt, cunctaque parata sunt: venite ad conuiuium.

Imperfectus Tauri mei, & faginata occi-